



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXVIII. Gregorii Papae I. Ad Episcopos Corinthios. De Hadriano episcopo, qui cum suis accusatoribus episcopis in gratiam redierat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

quod absit, Christiana religio Iudæis subdita polluatur. Ita ergo omnia districtissime sub omni festinatione corrigite, vt non solum pro hac vobis disciplina gratias referamus, sed & testimonium de bonitate vestra, vbi necesse fuerit, præbeamus.

## EPISTOLA XXXVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

## AD EPISCOPOS CORINTHIOS.

De Hadriano episcopo, qui cum suis accusatoribus episcopis in gratiam redierat.

*Gregorius vniuersis episcopis Corinthiis.*

**D**ESIDERII nostri est ad concordiam redigere discordes, & vnitos esse in gratia eos quos diuisos ab alterutra dilectione voluntatis fecit esse diuersitas. Scripta igitur fraternitatis vestræ relegendes, agnouimus quod hi qui contra Hadrianum fratrem & coepiscopum nostrum aliqua dixerant, modo cum eodem episcopo in amicitiam conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorum vnitate latitia. Sed quoniam ea quæ dicta sunt indiscussa remanere non patimur, sedis nostræ diaconum ad ea inuestiganda dirigimus: quia nuntiati nos facinoris qualitas vehementer impellit, vt ea quæ audiui-  
Ioan. diac.  
lib. 4. c. 32.  
 mus dissimulare nullatenus debeamus; præsertim cum accusatores & accusatum inter se fecisse gratiam indicastis: hoc nobis necesse est subtilius perscrutari, ne fortasse eorum sit comparata concordia, quæ si, quod absit, non ex caritate, sed ex præmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectendum est. Nam nos qui canonice, reuelante Deo, mala, si quidem vera sunt, resecare præcedentia festinamus; commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus.